

## G R A C I A.

conditore jam dicto : quem regnare cœpisse tradunt anno periodi Julianæ bis M D CCC LVI, Abrahamo Israëliticæ gentis archego annum ætatis jam agente centesimum quadragesimum quartum, filio ejus Isaaco quadragesimum quartum, annis ante Cecropem primum regem Atheniensium quasi ccc, & ante excidium Trojæ D CLXXIV, ante Olympiadum Iphitearum principium M LXXXI. Ab hoc Inacho descendederunt clarissimæ familie principum Græciæ, eorum præsertim, qui in Peloponneso floruerent.

*Athenien-  
ses.*

Post Argivos emersere, & principem gloriæ locum tenuere Athenienses : quorum primus rex Cecrops cognomento διφύης ex Ægypto oriundus, Inacho annis CCCI recentior, initium duxit ab anno periodi Julianæ ter millesimo centesimo quinquagesimo octavo, ante Trojæ excidium CCC LXXXIII, ante Olympiadum exordium D CCLXXX. In hac civitate regnum tenuere reges XVII, per annos CCCC LXXXVII : in quibus ante alios claruere Erichthonius, Pandion, Erichtheus, Cecrops alter, Pandion alter, Ægeus, & reliquos celebritate nominis & actorum superans Theseus secundus Athenarum conditor, amicus & prope individuus comes Herculis Græcorum fortissimi ac maximè incliti, regum in ordine decimus. Postremus vero fuit Codrus, qui bello Dorensi pro patria se devovit, & occubuit tempore Saulis regis Israëitarum, anno periodi Julianæ ter millesimo, sexcentesimo, quadragesimo quinto. Post quem Archontes perpetui imperium Atticum tenuere per annos CCCV, numero XIIII : & ab hisce Archontes decennales V II per annos LXX. Cum quorum fine cœpit in civitate Attica popularis libertas anno periodi Julianæ quatermillesimo vicesimo sexto, à primi Cecropis initio D CCC LXVIII, post Olympiadum initium LXXXIV exeunte. Creati tum pro uno archonte novem annui pari potestate, quorum unus anno nomen dabat, ut bini consules apud Romanos. Atque hic status popularis duravit diutissime ad ultima civitatis istius tempora, maximeque floruit iis sæculis, quorum historiam Herodotus, Thucydides, Xenophon, Diodorus, Polybius suis scriptis complexi sunt. Cui statui leges dedere Dracon & Solon. vide Emmium in rep. Athen.

*Thebani.*

Post Athenarum & Cecropis primi initium à Cadmo Agenoris Phœnicum regis filio conditæ feruntur Thebæ in Boeotia, decima, ut astant, generatione ante Herculem (certus enim annus non traditur) tempore Erichthonii quarti regis Attici, & Danai decimi regis Argivi, à quo Cadmea arx nomen accepit: cui hoc singulare, quod primus literas & eorum usum in Græciam intulisse perhibetur. Ante quem in Boeotia & regione Thebana Ogyges, sub quo diluvium ingens ac toti vicinie calamitosum contigit, dicitur regnum tenuisse, & post eum quoque alii. Ex Cadmo descendederunt, Polydo-

rus, Labdacus, Laius, Oedipus regum miserrimus, & duo ejus filii ex incesto nefario geniti, Eteocles & Polynices, atque ex hoc Thersander, Tisamenus. Autem hujus stirpis regum ultimus ex oraculo regnum relinquens concessit ad Dorienses. Cujus filia Argia soror Theræ nupta Aristodemus Heraclidæ mater fuit Eurythmenis & Proclis, qui duas familias regum Laconicorum progenuere. Post Autem regnum Thebis regnarunt Damaschiton, Ptolemæus, Xanthius. Quo in monomachia à Melanthe Atheniensi interempto, regnoque abrogato, polyarchia Thebis est instituta annis LVII ante finem regnandi apud Athenienses. Polyarchiam denique exceptit popularis libertas, quæ florentibus Græcorum rebus viguit, quamdiu Thebæ stetere.

Corinthus ad Isthmum Peloponnesi sita, *Corinthii.* quondam Ephyra nuncupata, diu ante & post bellum Trojanum paruit regibus Argivis, & Mycenæis. Deinde Bacchaidæ illic imperium oligarchicum tenuere: & horum dominatu tandem abrogato, Prytanibus ex eodem genere resp. commissa. Quibus demum oppressis Cyphelus Eetionis filius tyrannidem invasit, moriensque filio Periandro uni ex septem Græciæ sapientibus, Cyro Persarum & Crœso Lydorum regibus coævo, eam reliquit. Eo mortuo, & extinto quoque paulo post fratri ejus Gordiæ filio, tyrannis excussa, & libertas restituta est, eaque perennavit, quamdiu Græcia fuit incolamis.

*Arcades.*

Fuit & Arcadum genus longe vetustissimum in media Peloponneso, multis sæculis regum imperio subiectum usque ad bellum secundum inter Lacones & Messenios gestum: cuius belli anno tertio ob insignem perfidiam potestate exutus Aristocrates locum populari libertati dedit: fuitque ab eo tempore, quod congruit cum septimo anno libertatis Atticæ, una communis Arcadum respublica, quanquam sæpe dissensionibus agitata, in qua supremum concilium velut magnus senatus erat virorum x milium ex civitatum delectis conflatum, penes quod rerum summa fere solet esse; ut ex Xenophonte & Pausania discimus.

Fuit & Messeniorum regnum in Peloponneso, *Messenii.* Arcadiæ confine, sane antiquum, eversum à Lacedæmoniis, populusque in servitutem redactus.

Similiter Elei, qui ab Ætolis genus se ducere *Elii.* videri avebant, atque agrum optimum colebant, & per eum sparsim habitantes vita rustica magis quam urbana delectabantur, longo quoque tempore sub regibus aut principibus olim egere. E quorum numero Iphitus Praxonidæ filius ludos Olympios toti communes Græciæ, à Pelepe quondam & Hercule inchoatos, sed postea neglectos, instauravit auxitque, & meliorem iis ordinem dedit, cum regula temporis: qui deinceps nunquam sunt intermissi, quolibet quadri-